

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1585

Autre(s) référence(s) : Fauroux 141 / Round 1165

Auteur(s) : Guillaume le Bâtard, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : [1052-1058]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume le Bâtard donne à l'abbaye de Marmoutier, six églises à Guernesey : Saint-Pierre-Port, Saint-André, Saint-Martin-de-la-Bellouse, Sainte-Marie à Torteval, Saint-Samson et la Sainte-Trinité [de la Forêt] avec les dîmes des récoltes et des animaux. Les prêtres de ces églises sont placés sous la dépendance de l'abbé. Guillaume donne aussi un hôte sur la tenure duquel sera construite la demeure du moine délégué à cet endroit.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces just., n° 19, p. 21.
- b. Couppey Louis (Abbé), *Notes historiques sur le prieuré conventuel d'Héauville à la Hague*, *Revue catholique de Normandie* n°7, 1898, p. 427 et tirage à part, p. 9 (traduction).
- c. Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1165, p. 421 (extrait).
- d. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 297, p. 379.
- e. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n°141, p. 319-321.

Dissertation critique

Cet acte se place entre 1052 environ (vu la présence de Guillaume le Roux, deuxième fils de Guillaume dans une autre version de cet acte) et 1058, l'année où meurt Raoul, abbé du Mont-Saint-Michel (voir FAUROUX, p. 319-320).

Texte établi d'après e

Quisquis fidelium ardore succensus adimplendæ præceptionis evangelicæ, qua cuncti divitias habentes misericorditer admonentur facere sibi de mammona iniquitatis amicos a quibus, cum defecerint, in æterna tabernacula recipiantur, omnium necessitatibus communicare studuerit indigentium præcipueque pauperum spiritu quorum, juxta veritatis vocem, regnum dignoscitur esse cœlorum, ut deficiens ab hujusmodi videlicet amicis in mansiones excipiatur æternas, noverit se indubitanter non solum a sui receptione non esse frustrandum, sed etiam ab ipso bonorum omnium largitore, qui ei contulit unde sibi tales faceret amicos, se esse inter gloriosiores beatitudinis

æternæ præmia percepturum. Hac igitur consideratione ego Willelmus divina ordinante providentia Normannorum princeps, permotus, disposui aliquid ex his quæ temporaliter accepi, per manus pauperum, fideli Deo lege fœneris committere, quod post tempus in æterna retributione centena merear multiplicatione recipere. Quod ut probabilius fieri possit, illud pauperum genus elegi ad hoc faciendum quod sub Alberto abbate, in Turonensi cœnobio, quod Majus Monasterium dicitur, omnipotenti Deo famulatur, quod, ut liberius expeditiusque Deo serviret, propriis abrenuntians facultatibus, voluntariam subiit paupertatem. Ut autem quantitatis sive integritatis earundem rerum quas per manus prædictorum pauperum omnipotenti Deo offero, et quas apud insulam quæ appellatur Grenerodium videor habere in meo dominio, omnis propellatur ambiguitas, earum nomina huic scripto inserere jussi, id est ecclesiam Sancti Petri de Portu cum omni integritate, ecclesiam Sancti Andreae de Putenti Pomerio cum omni integritate, ecclesiam Sancti Martini de Laberlosa cum omni integritate, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Tortavalle cum omni integritate, ecclesiam Sancti Sansonis episcopi cum omni integritate, ecclesiam Sanctæ Trinitatis cum omni integritate, et decimam omnium rerum, tam de frugibus quam de animalibus, que ad istas sex ecclesias pertinent ; ipsi quoque presbyteri, cum propriis rebus ecclesiasticis, sub tali lege præfati abbatis potestati subjaceant, ut, cum eorum quis morte finierit, seu in aliquo negligens aut criminosus, pro quo ab ecclesia mereatur expelli, deprehensus fuerit, secundum arbitrium et dispositionem abbatis alter in loco illius subrogetur. Additur etiam his decima quatuor carrucarum quas videor habere in meo dominio in suprascripta insula, et unus hospes cum omni integritate suæ redibitionis, ubi faciat habitaculum ad manendum monachus qui praeerit illi obedientiæ. Quæ omnia cum assensu et auctoritate meæ conjugis, nomine Meheldis, et filii mei Willelmi, omnipotenti Deo et Sancto Martino concedo jure perpetuo possidenda, quatinus, jam scæpdictorum fratrum orationibus adjuti, illorum qui elemosinis divinæ majestati placuerunt mereamur adjungi consortio. Si quis autem, quod absit, ex successoribus nostris diabolicæ suggestionis instinctu, hujus elemosinæ dono abstrahendo, minorando, vel mutando, seu omnino denegando, inferre calumniam temptaverit nisi ab hac intentione resipuerit, sentiat adesse hujus sacrilegii ultorem, non qualemcumque, sed illum qui sublimitate meritorum gemma vocatur præsulum. Et ut hoc nostræ largitionis scriptum per cuncta annorum curricula vigorem perpetuitatis obtineat, manuum nostrarum caractere, impresso crucis signaculo, magna cum devotione firmavimus atque fidelibus nostris corroborandum tradidimus, quorum nomina subscripta sunt.

Signum Willelmi comitis. Signum Meheldis, uxoris ejus. Signum Willelmi, filii ejus. Signum Odonis, Bajocensis episcopi. Signum Gausfredi, Constantiarum episcopi. Signum Nielli vicecomitis. Signum Rodulfi camberarii. Signum Guillelmi filii Osberti. Signum Guillelmi de Clinvilla. Signum Rodulfi Taisonis. Signum Rotgerii de Monte Gomerici. Signum Richardi de Belfo. Signum Richardi vicecomitis. Signum Galterii Vifardi. Signum Rotgerii de Bellomonte. Signum Rodulfi, abbatis de Monte Sancti Michaelis. Signum Guazoni prioris. Signum Guillelmi monachi. Signum Ernaldi monachi. Signum Thealdi capellani. Signum Balduini capellani. Signum Arfadii capellani.